



COLLÉGII PVBLICI  
DISPVTATIO EXTRAORDINARIA,  
*De*  
IVRE DELIBE-  
RANDI ET BENE-  
FICIO INVENTARII.

Quam

*Adiuuante Sacratiss. Triade.*

SVB PRÆSIDIO

*Clariss. & Consultissimorum VV. ac DD.*

Dn. PETRI OSTERMANNI, I. V. Doctoris, &  
Dn. ARNOLDI MAES, SS. LL. Licentiati,  
respectiuè Dictatoris & Fiscii.

*In Vviorum Thimisdali Palestra defendet.*

ARNOLDVS WILSTACH Hattneggensis Marco-  
Westphalus.

Anno 1630. die 20. Iun.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Excudebat Petrus Metternich, prope Augustinianos.

UNIVERSITÄT WÜRZBURG  
LIBRARY

IVRE DELLIE  
RANDI ET BEBE  
FICIO UNY LARIL

ORDINE 1811  
BIBLIOTHECA





## PRÆFATIO.



Vandoquidem hereditatis delatio res grata, lucrosa indeque cunctis accepta, & passim ab omnibus excolitur, iuxta Plaut. *in trunc.* ad suum quemque lucrum æquum esse callidum; ideo etiam ex prouisione legis non nisi amicis sanguine iunctissimis, agnatis scil. & consanguineis, ut pote dilectissimis, & ijs quibus possessor deccedens optime voluisse creditur, defertur *l. 1. pr. ff. de legit. iur.* idque summa prouidentia factum, Vlpian. *in d. l. 1.* attestatur, ut scil. ij qui sanguinis & proximitatis ratione talem legitimam successionem sperarent, ijdem etiam eiusdem stimulo bona, casu aduerso, quo scil. defunctus possessor suum heredem impuberem imbellemque reliquisset, ruerentur, ne eadem lubrico iuuenilis ætatis iudicio, quod in iuuenibus reperitur, *l. 1. ff. de Minor.* malo more dilapidarentur, *dict. l. 1. pr. l. quo tutela. 73. ff. de Reg. iur. pass. instit. de legit. Patron. tut. cui quamuis ita sit, diffiteri tamen nulla methodo possumus, quin eadem illa hereditatis tam ab intestato, quam ex testamento delatæ aditio; maximum & plurimarum difficultatum Labyrinthum conferat, teste Iustin. & *ibid. Dd. in §. sciendum. 6. Inst. de hered. qual. & diff. l. Aristo 5. ff. de iure delib.* Ideoque duo vnum Iuris veteris, aliud iuris noui, contra cunctas hereditatum difficultates, remedia, & quasi amuleta heredibus vtriusq; qualitatis, Vult. *ad. §. extraneis autem. nu. 4. vers. quod autem. Instit. de hered. qual. & diff. suggeruntur. Ius deliberandi scil. & beneficium inuentarij, dict. §. extraneis 6. cum seq. ibid. Vulrei. n. 5. & 6. Myns. ibid. nu. 5. Angel. Portius Cantuincul. ibid. tot. tit. ff. & Cod. de iure delib. & l. scimus fin. C. eod. de quibus singulis separatim quantum præsens conditio fert, videbimus.**

### THESIS PRIMA.

**P**rimum itaque beneficium euitandi hereditatum labyrinthi, est Ius deliberandi, siue cretionum conditio qua certorum dierum spatium heredi instituto aut ab intestato vocato dabat seu præstituebat, ad consul-

tandum & deliberandum, vellet ne hères hereditatem adire an non, *Vlpi-  
an. tit. 22. §. 27. & seq. l. cretionum. 17. C. de iure delib.* est enim deliberare con-  
siliium alicuius rei faciendæ capere quo capto mens à cogitationibus vl-  
terioribus liberetur, *Myns. ad §. extraneis nu. 4.* & est medium per quod  
deuenitur ad extremum, *Iason. in Rubr. nu. 2. ff. acqu. vel amit. hered.*

2 Et siue testator in suo testamento (quod iure veteri plerumque fieri  
consuevit hoc modo, *Titius heres esto cernitoque in diebus centum proximis  
hereditatem, & nisi creuerit exheres esto*) heredi futuro tale ius deliberandi  
dedisset, siue non, nihilominus Prætor cœpit suam Authoritatem interpo-  
nere, *l. 1. pr. & §. 1. ff. eod.* & heredibus tam scriptis quâ ab intestato vocatis,  
petentibus tamen certum temporis spatium non minus centum dierum, *l.  
2. ff. eod. ibid. Paul. Castrens. n. 4. concedere, d. l. 1. & §. 1. ff. eod.* vnde concludit  
ius deliberandi iure prætorio introductum *d. §. extraneis ibid. Dd. com-  
muniter, l. si seruus. ff. eod. Micha. Grass. lib. sentent. 2. Artic. 1. q. 1. n. 2.*

3 Causa motiua prætoris erat hæc ne actiones creditorum diu nimis  
differantur, *§. sed eas 4. vers. eam igitur, Instit. de bonor. poss. l. 1. ff. de success. e-  
dict.* sed vt habeant quem conuenire, & à quo credita sua exigere possint,  
nec facile in bona debitoris defuncti mitterentur, *supr. dict. Iurib. princì-  
paliter tamen heredis, d. l. 1. §. 1. ibid.* ait prætor si tempus ad deliberandum  
petet, dabo *ff. h. tit. heres quoq; vrget & petit dict. §. 1.* sic in consequentiam  
etiam creditoris gratia ex supra dictis, *Mich. Grass. lib. 2. recept. sentent. q. 1.  
n. 7. Budæus, in dict. §. extraneis.*

4 Ideoque non solum extraneis, sed etiam suis heredibus Prætor ius  
hoc concedebat, *l. ait. Prætor. 7. pr. ff. de iure delib. l. cum. in antiquiorib. 19. l.  
fin. §. sint autem dubius. 2. vers. vel sese Cod. eod. Myns. ad §. extraneis. nu. 5.  
Vulte. eod. nu. 4. vers. quod autem, Angel. Port. & Doct.*

5 Idem ius deliberandi datur quoque fideicommissario vniuersali,  
*Bart. in l. 1. §. ait Prætor. num. 3. h. tit.* quia is habet commodum & incom-  
modum ex hereditate, *§. si quis vna, 9. Instit. de fideicom. hered. Alexand. in l.  
si Patroni 15. §. qui fideicommiss. 2. ff. Ad Trebell. Gloss. in l. 1. §. fin. ff. eod. Iason.  
in l. cum filiosam. 11. nu. 1. 2. 4. ff. de legat. 1. communem dicens, & ratio secunda  
esse potest, quia iura loquentia in herede, habent etiam locum in fideicom-  
missario, *Iason in dict. l. cum filiosamil. nu. 106. Bart. in l. 1. §. de illo 8. nu. 1. ff.  
ad SC. Trebell.**

6 Non tamen competit fideicommissario singulari aut legatario, *Bart.  
in dict. l. 1. §. ait. Prætor nu. 4. & Iason, in dict. l. cum filiosamil. nu. 24.* quia cum  
ad eos non transeant onera hereditaria, & legata seu fideicommissa parti-  
cularia, solum lucrum afferant, *l. si hereditatem 37. pr. ff. mandat. adeo vt qui-  
dem compensandi animo creditori præsumatur relictum, l. creditor 85. ff.  
de legat. 2. l. creditor. Cod. de legat. nisi expressa defuncti voluntas compensa-  
re volentis demonstrretur dict. Iurib. & notat Bald. in l. cum à matre. 14. nu.  
5. & 6. Cod. de rei vind. Roland. à Valle & ibid. Kessel. in addit. part. 4. q. 8.  
traff.*

*tract. de Inventar.* ideo etiam deliberatione non indigent, Bart Iason. *dict. locu Mich. Grass. lib. 2. recept. sentent. quest. 2. n. 3.*

7 Præterea non competit furioso, quia is mente carens, consilij expertus est, & sic deliberare, quod est rem pleniori mentis consilijque libella examinare, non potest, *l. si cum dot. 22. §. si maritus 7. ff. solut. matrim.* sed absentis loco habetur, *l. 2. n. sine ff. de iure Codicill. l. sed si vnus. 17. §. filiosamil. ff. de Iniur. l. vti. 124. §. 1. ff. de Reg. Iuris.* nec voluntatem habet, *l. furiosi 40. ff. de Reg. Iur. l. qui seruum 47. in fine. ff. de acquir. heredit.* Tholos. *Syntagm. Iuris lib. 46. cap. 2.* Plinius, vnde furix dicuntur geminatae pestes,

cognomine dire

Quas ad Tartaream nox intempesta Megaram

Vno eodemq; tulit partu.

Virg. 12. Aeneid.

8 An igitur furioso curatori indulgendum sit ius deliberandi, in velitatione est, & alij omisissis affirmatiuam aperimus, quia licet is omittere aut repudiare hereditatem furioso delatam non possit, ne ei noceat, Cyn. & Doct. *in l. fin. ff. de administ. tutor.* Bart. & Doct. *in l. ab agnato ff. de curat. furios.* cum eius sit repudiare qui nomine proprio hereditatem acquirere potest, acquirere tamen posse non diffitendum, idem in effectu vult Bart. *in l. per procurat. 90. n. 1. vers. sed illud quod consistit. ff. de acq. hered.* licet non pauci dissent. nec obstat. *d. l. per procuratorem*, quia loquitur principali existente per se sufficiente & habili, in inhabilibus enim & ijs quæ non nisi per interpositam personam fieri possunt iura dispensant, *argum. l. si pupillus 2. ff. rem pupilli §. al. fore.*

9 In pupillo infante distinguitur, vt si infantix proximior sit, ita vt nec velle nec nolle credatur, *l. penul. §. pupillus 2. ff. de verb. oblig. l. in negot. s. ibid.* Decius & Doct. *ff. de R. Iuris* vtrum velit adire nec ne, deliberare non possit, cum furioso æquiparetur, Iason *in l. infans, 3. n. 2. Cod. qui admitt. ad bonor. poss.* aut infantia maior & pubertati proximior, & eum cum suo tutore deliberare posse statuitur. *l. pupillus. 9. ibid.* Iason. *n. 3. ff. de acq. hered. ibid.* Paul. Castrens. *n. 2.* qui tamen *ibid.* prædicta distinctione sprete pupillū indistincte tutoris autoritate deliberare posse concludit, sicut & adire potest, Iason *in l. si infanti, per illum text. n. 5. Cod. de Iure delib.* licet ante illam legem secus fuerit, *l. seruo inuito. 65. §. si pupillo vers. neque pupillus ff. ad Trebell. l. potuit. Cod. hic.* quia iudex illud quod tutori deest supplet, *l. tutor. ff. de bon. poss.* Iason *dict. loco n. 6.* quod verius crediderim, aliter paulo inter pupillum qui dari possit & non possit, distinguit, Mich. Grass. *lib. 2. recept. sentent. quest. 2. nu. 5. & 7.*

10 De minore curatorem habente, idem fere statuitur, quia solus adire aut repudiare nequit, Alexand. *in l. impuberibus 11. ff. de acq. hered.* Grass. *dict. quest. 2. n. 8. & Artic. seq. quest. 12. n. 5. & 6.*

11 Neque seruo ius deliberandi competit, *l. r. pr. ff. h. tit.* Bart. *ibid. n. 1.* Iason *in l. nec emere. 10. n. fin. & in l. 1. §. 1. ff. si quis omisiss. caus. testam.* quia quo ad ius

ad ius ciuile & prætorium serui pro nullis habentur, *l. quod attinet. 32. ff. de R. Iuris. dict. l. 1. pr. ff. hoc tit.* idem in monacho qui in hoc seruo æquiparatur, Bart. *in d. l. 1. n. 3.* igitur si seruo hereditas delata sit, ius deliberandi domino dabitur, *d. l. 1. pr. vers. sed ei* Bart. *ibid. n. 1.* sicut in hereditate delata Monacho Abbati Castrenf. *in d. l. 1. n. 1.* quia neuter velle aut nolle habet, *l. velle. ibid. Deci. n. 1.* dicit, velle nõ putatur, qui superiore cogente operatur *ff. de Reg. Iuris. & supra dict. iurib.*

12 Controuertitur, quando id ius deliberandi peti possit? & deciditur, non nisi delata hereditate peti posse, quia prius quam delata & postquam acquisita vel omissa est, frustra petitur, igitur postquam delata & nondum agnita aut repudiata est, Grass. *dict. Artic. 1. quæst. 3. n. 1.* VVesemb. *in §. extraneis instit. de hered. qual. & diff.*

13 Hereditas vero delata dicitur ea, quam quis potest adeundo consequi, *l. delata 151. ff. de verb. sign. l. si qui heres, 13. pr.* ibi Bart. *n. 2. vers. secundo modo ff. de acq. hered. Iason in l. 1. n. 4. Cod. qui admitt. ad bon. poss. Goed. ad dict. l. delata. n. 1. vers. responder* VVesemb. *conf. 17. n. 22. text. in l. 2. §. sed etsi quid ff. de hered. vel act. vendit.*

14 Vnde si heredes illi primi nimis tardi in deliberatione fuerint, poterit Iudex secundis aut vterioribus heredibus dilationem ad deliberandum, an velint esse heredes necne dare, gloss. *in rubr. Cod. de success. edict. ibid.* Iason. *n. 1.* nec obstat. *l. siue pars 3. & l. procedente. 4. Cod. de dilat. l. fin. §. donec. 11. Cod. de Iure delib.* quia intelliguntur de dilationibus, præiudicialibus, quales præsentos non habentur, Bart. *in l. 2. circa fin. ff. de R. iud. Iason dict. Rubr. n. 1. & 2.* & licet plures hac de re sint sententiæ, hæc tamen æquior videtur, ne sc. creditorum actiones longius destituantur suis effectibus, Grass. *dict. lib. 2. artic. 1. quæst. 3. n. 3. in fine.*

15 Etsi tempus deliberandi petitum fuerit currit à die dationis, *arg. dict. l. 1. ff. eod.* si vero non fuerit petitum tamdiu durat quamdiu facultas adeundi aut repudiandi, id est vsque ad triginta annos, *per l. omnes 4. Cod. de prescript. 30. vel. 40. annor. Iason in l. licet 8. n. 1. Cod. de Iure delib. ibid. Paul. Castrenf. Mynf. cent. 2. ob. 71. n. 1. & seq. Roland. à Valle tract. de inuentar. part. 3. quæst. 19. n. fin. Grass. Artic. acquisit. quæst. 20. n. 4.*

16 Idque si à principali culmine, datum fuerit anni spatium, fin vero à Iudicibus nouem mensium finitur *l. fin. §. & hac quidem 13. in fin. ibid. Castrenf. pr. & Iason, in §. fin. vero 12. pr. Cod. hic.* medium tamen tempus, vt olim, relictum est in ius dicentis potestate, *l. 1. in fin. ff. hic. l. si curatoris. 9. in fin. Cod. hic. Treutl. vol. 2. disp. 12. thes. 7. lit. C.* quia tempus à lege vel statuto non expressum, arbitrio iudicantis relictum creditur, Bart. *in l. 1. §. 1. n. 1. ff. hic. Castrenf. ad d. l. air prætor. 7. pr. n. 2. ff. hic.* idem in pœnis & similibus, Castrenf. *d. loc.* qui tamen minus quàm centum dierum spatium dare non debet, *l. itaque 2. ff. hic. Bart. in l. 1. §. air prætor. n. 5. ff. eod.*

17 Si tamen liberi aut parentes fuerint, largius tempus tribuetur, *l. 1. §. largius*



*largius*, 12. ff. de success. ed. t. qui cum pene ad propria bona veniant, præcipitandi non sunt, d. s. largius.

18 An autem plus quam semel tale ius deliberandi concedi debeat? controuertitur; & verius est semel tantum ordinariè concedendum, l. nec non. 3. ff. eod. Bart. in d. l. r. §. ait prætor. n. 6. ff. cod. sæpius, si tempus à prætore præstitum non suffecisse doceatur, & sic non nisi causâ cognita, iterum dari debet, d. l. nec non. cum seq. l. fin. §. & hæc. 13. circa fin. Cod. de Iure delib. Bart. dict. n. 6. ne scil. præcipitata deliberatione, cuius comes poeniteatia esse solet, VVesemb. parat. n. 2. ff. eod. temerè quis adeundo hereditatem, grandi postea emergente ære alieno, damnificetur, §. extraneis autem, 5. Instit. de hered. qual. & dist. Myns. ad d. §. n. 1. veteres enim eo iure vsi sunt, vt heredes creditoribus solidum persoluerent, licet defunctus minus reliquisset, l. fin. §. fin. vero. 12. Cod. hic. VVesemb. parat. n. 3. ff. eod. intelligitur enim secum pensasse an expediat vel non, l. que dotis 33. ibid. Bart. n. 8. & 9. ff. solut. matr. quia aditio hereditatis respectu heredis, habet vim solutionis, Bart. d. loco. Castrens. ibid. n. 2.

19 Vtrum verò ad heredes ius illud sit transitorium? ambigitur, affirmatiuam tamen asserere non pigebit, per text. l. cum in antiquior. 19. vers. ideoque sancimus. Cod. hic. Gloss. in l. eam quam 14. §. fin. in verbo coguntur, Cod. de fideicom. Geil. lib. 2. obs. 131. n. 4. Iason in d. l. 19. n. 4. & 5. Gomez. variar. resol. tom. 1. cap. 9. n. 46. Treutl. vol. 2. disp. 12. thes. 7. lit. D.

20 Quatuor tamen concurrentibus, I. Vt hereditas sit delata, II. Vt primus heres sciat eam esse delatam, & possit eam adire. Iason. in d. l. 19. num. 3. Castrens. ibid. n. 4. debet enim scire ex quo capite sit delata, l. si is ad quem 22. ff. de acq. hered. III. Quod non fuerit repudiata, Iason & Castrens. d. loc. IV. Quod heres primus decesserit infra tempus ad deliberandum vel per legem vel per iudicem concessum, Castrens. citat. n. 4. Iason, dict. n. 3. & idem Ias. in l. nemo 55. n. 36. de legat. 1. VVesemb. consil. 89. n. 7. & 8. si enim post tempora deliberandi completa decesserit, nihil transmittet, quia tempus id concessum à lege aut principe anni, sin vero à iudice nouem mensium spatio finitur, l. fin. §. & hæc quidem 13. vers. non tamen Cod. hic. Castrens. dict. loc. VVesemb. consil. 13. n. 83.

21 Differentia tamen in hac hereditatis transmissione inter suos & extraneos heredes notanda est, quod sui hereditatem sibi ex testamento vel ab intestato delatam ad quoslibet heredes transmittant, dict. l. cum in antiquioribus. 19. extranei verò non nisi testamentariam, per l. non pro. 2. Cod. ad SC. Orphit. Treut. vol. 2. disp. 12. thes. 7. lit. D. notat Ias. in d. l. 19. n. 2.

22 Quia autem tempus deliberandi non solum heredum, sed & creditorum gratia & vice versa, est introductum, l. Arist. 5. pr. ff. hic. ideo creditores tenentur heredi perenti inspiciendorum instrumentorum copiam facere, vt se inde instituire possit, agnoscere hereditatem velit, an relinquere, dict. l. Arist. arg. l. 1. pr. ff. edend. text. quoque in l. Arist. 18. ibid. Bart. & Iason

Iason n. 1. ff. de acq. hered. Mynf. addit. s. extraneis n. 6. eaque ratione aditio non per actionem, sed per officium iudicis peti debet, l. quid si minor. 24. §. fin. ff. de minor. Gloss. ordinaria in l. si soror. 8. Cod. de collat. Bart. ad l. vnic. ff. de condit. ex lege. Iason in d. l. Aristo. n. final.

23 Ideo etiam si maior sit hereditas, ac res in ea, tractu temporis deteriores futuræ reperiantur, Prætor adito heres stante deliberatione eas sine præiudicio iustis pretijs vendere poterit, text. in l. Aristo. §. si maior. 1. ff. eod. sicut & ea quæ sumptuosa nimis sunt, veluti iumenta seu pignora consumentia, vulgo zãbrende Pfandt/ aut alias venalicia distrahere, d. l. Aristo. §. 1. & æs alienum sub grauibus vsuris aut pretiosis pignoribus contractum soluere, dict. §. si maior, cum l. seq. ff. eod. Castrenf. in dict. l. Aristo. n. 2. & 3. Vvesemb. parat. n. 4. ff. hic.

24 Heres tamen hoc casu non originalia instrumentorum inspiciendum, sed eorum saltem copiam habere debet, Paul. Castrenf. cir. loco, ne quid falsi in ipsa originalia excogitetur, l. 1. §. editiones 2. ibid. Iason n. 1. ff. de edend. & quo minori periculo ita hereditatem gestiat, tutius erit ipsi expressam protestationem se non animo hereditatem adeundi sed hereditatis necessitatibus subueniendi, talia facere, Castrenf. dict. n. 4. Iason in l. cum debitum 2. n. 2. Cod. hic. protestatio enim iura vtriusque partis illæsa conseruat, l. fin. ff. quibus mod. pign. tacit. contr. Anton. de Amath. decis. 24. n. 34.

25 An autem illi cui tempus ad deliberandum datum & elapsum est, superfit tempus ad conficiendum inventarium? quod quamuis controuersia nõ careat Mantic. in l. scimus fin. n. 181. Cod. hic. Gloss. in d. l. fin. §. & hæc quidem. 13. in verbo beneficio, negatiuam intrepidè asserere complacet, Iason in d. l. fin. §. fin. autem. 14. pr. & n. 1. licet Falcidiam habeat, Iason d. loco.

## DE BENEFICIO INVENTARII.

**H**Æc de iure deliberandi pro præsentibus sufficiant, quia vero Imperator Iulianian. vt optimus Imp. optimum pro subditis suis consilium capiens, vt de prohib. feud. alienat. per Loth. & de prohib. facil. alienat. per Frederi. ea enim & lege sancire, & tradere subiectis oportet, quæ per se sunt iuuantia, nec semper iussione Imperatorum egentia, Nouell. 1. in fin. princip. Ideo ipse noua sua constitutione, quæ est in l. scimus. fin. Cod. de iure delib. commune omnibus Romano Imp. subiectis beneficium produxit & præstitit. §. sed nostra 6. Instit. de hered. qual. & diff. cuius tenorem si obseruauerint, licet eis adire hereditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hereditatis contingit d. §. 6. eodemque causante deliberationis auxilium non sit eis necessarium, dict. §. 6. Vvesemb. parat. n. 5. ff. de iure delib. Ideo de eiusdem natura qualitate & effectu quædam adferenda sunt.

THE.

THESIS PRIMA.

Inuentarium itaque ( cuius materia adeo scrupulosa & intricata, vt sæpe industriosi in ipsius confectione labantur ac decipiantur, teste Rolan. à Valle. *tract. de inuentar. part. 1. quest. 1. n. 2.* eius vsus tam frequens & perutilis, vt quotidie horatimque in palatijs verferur Iudicumque tribunnalia perlonet, Roland. *dict. loc.* ) ab inueniendo, inuestigando, perquirendo dictum, quia inuentarium conficiens diligenter omnia bona inuestigare, inuestigata & inuenta in scripturam redigere debet, *l. si quis intra. 7. Cod. de bon. proscript.* vnde alio nomine repertorium dicitur, *l. tutor qui repert. 7. pr. ff. de administ. & peric. tut.* Specul. *lib. 1. tit. de act. ab vniuers. constit. n. 10.* Roland. *dict. tr. part. 1. q. 1. n. 4.*

2 Inuentarium autem describitur scriptura in qua res in hereditate inuentæ describuntur Glof. in Nou. *l. c. 2. §. 1. in verb. inuentarium.* Roland. *d. quest. 1. n. 1.* seu repertorium in quo res in hereditate repertæ describuntur, Specul. *lib. 1. tit. de Actor. ab vniuers. constit. n. 10.* vt sic nomina rebus sint consequentia, §. *est & aliud. 3. instit. de donat. c. si cupis 5. caus. 16. q. 1.* Specul. *cit. n. 10.* Porcellin. *tract. de inuentar. in pr. Vultei. ad d. §. extraneu. n. 6. vers. inuentarium.*

3 Triplex ab autoribus inuentarium statuitur heredis scil. *de quo in l. fin. & ibid. scribentes Cod. de iure delib.* Tutoris. *de quo in l. tutor qui 7. pr. ibid. Bart. & Doct. ff. de administ. & peric. tut.* Curatoris. *de quo ibid. Orphanotrophi, de quo in l. Orphanotrophos. 32. ibid. Doct. Cod. de Episc. & Cler.* Et fisci. *de quo in Nouell. 1. cap. illud quoque 4. §. fin. per verb. & in omni persona, siue priuata siue militari, siue sacerdotali siue imperiali, siue alterius cuiuslibet. & redidit ratio, communem namque omnibus hominibus hanc legem ponimus.*

4 Quapropter heres tam ex testamento quam ab intestato siue in totum, siue in partem succedens *l. fin. §. cum igitur 1. Cod. de iure delib.* ni creditoribus & legatarijs vltra vires hereditarias teneri velit inuentarium facere debet, *d. l. fin. §. fin. autem hoc 14. vers. si quis vero.* item Iason *in d. l. fin. §. et si præfat. 4. num. 1. text. in Nouell. 1. cap. 2. §. si vero 2. ibid. Glof. Roland. dict. tract. part. 2. q. 1. n. 1. Schneid. ad d. §. extraneu. n. 5. Vultei. ibid. nu. 7. vers. si deunctus plus. VVesemb. parat. nu. fin. ff. de iure delib. Treutl. vol. 2. disp. 12. thes. 9. lit. B.*

5 Et siue vnus siue plures heredes fuerint, quilibet eorum vel omnes simul consentientes inuentarium facere tenentur, *arg. l. si quis ex arg. 6. ff. de Edend. l. hoc amplius. 9. §. questum. 4. ff. de damno infecto,* Roland. *dict. tract. part. 2. qu. 2.* nam quod ab vno cæterorum nomine fit, perinde habetur ac si ab omnibus factum esset, *arg. l. fin. ff. Ne quis eum, qui in ius. voc. vi exim. & addit. ad Roland. dict. loco.*

6 Et prædicta inuentarij conficiendi conditionata necessitas procedit, siue heres ille sit persona priuata siue publica, vt Princeps, Iason. *in d. l.*

B

fin.

*fin. pr. num. 1. vers. sed tum contrarium, &c. per text. in d. Nouell. 1. cap. 2. §. fin. Roland. dict. part. 2. quæst. 3. num. 1. ratio est, quia princeps heres institutus ad eundem hereditatem defuncti repræsentat ipsum defunctum, & una eademq; persona cum defuncto censetur, l. fin. ff. de except. rei iudic. text. in Nouell. 48. pr. addit. ad Roland. dict. loc. lit. A.*

7 Idem si miles, Roland. dict. num. 1. & quæst. 4. num. 1. Paganus aut Sacerdos, per text. d. Nouell. 1. cap. 2. §. fin. Episcopus, Saracenus, Iudæus, Roland. d. quæst. 4. num. 2. Rusticus, Mulier, Minor & Seruus. Iason d. l. fin. num. 2. quia hæc lex omnibus hominibus generaliter imponitur, d. §. fin. Nouel. 1. appellatione autem hominis veniunt omnes personæ enumeratæ, Gloss. in l. eos. 26. Cod. de Usuris. Bald. in l. 1. ff. de rer. diuis. Gloss. in cap. 1. ext. de maior. & obed. cap. quia se quasi 38. distinct. 50. cap. fin. dist. 8. & Cato, lib. 4. distich. idem monet dicens:

*Cum fueris seruos proprios mercatus in vsus,  
Si famulos dicas, homines tamen esse memento.*

text. quoque in l. quod attinet, 3. ff. de R. Iur.

8 An autem minori aduersus damnosam hereditatem lubrico iuuenilis ætatis consilio, sine confectione inuentarij aditam, restitutum in integrum concedenda sit? quod affirmandum credimus, Bald. in d. l. fin. pr. gloss. in l. auxilium. 37. ff. de minorib. Bald. in l. fin. num. 6. Cod. in quibus caus. restit. in integ. Iason in l. properand. 13. §. fin. num. 3. vers. secundò, &c. Roland. dict. part. 2. quæst. 5. num. 2. & ibid. addit.

9 Si tamen minor iste Doctor aut Ictus sit, restitutionem denegabimus, quia ei obijci posset, professio & desiderium tuum inter se discrepant, text. & gl. in l. profess. 6. Cod. de munerib. patrim. lib. 10. & à professione sua quid alienum postulare iniquum & iniuile est, Goth. ad dict. l. professio. licet alias regulariter ius ignorare præsumatur, VVesemb. vol. 1. consil. 23. num. 10. adeo vt contrarium asserenti eius incumbat probatio, l. verius. 21. ff. de probat. VVesemb. d. num. 10. Roland. dict. part. 2. quæst. 6. num. 1. Bronch. Miscell. controuer. cent. 1. assert. 28.

10 An autem Rustico, Mulieri, aut Militi eodem modo quo minori succurrendum videatur? sub distinctione affirmamus, quia Rusticorum genus simplex & innocens, regulariter ius positiuum ignorare præsumitur, text. & Doct. in l. venia. 2. Cod. de in ius vocando. Socin. Regul. fall. 432. idem in mulieribus ad colum & girgillum olim relegatis l. regula 9. pr. ff. de iuris & fact. ignorant. Miles vero arma magis quam leges scire tenetur, l. fin. prin. ibid. Bart. num. 1. Cod. de iure deliberand. quo pertinet, quod de Romulo scribit Ouidius:

*Sciret arma magis quam sidera Romule noras.*

Si tamen petiores consulere poterit, non succurratur, Doct. in d. l. fin. prin. & text. in d. l. regula. 9. §. sed iuris. 3. ff. de iur. & fact. ignor. Roland. d. p.

d. p. 2. *quest. 10. num. 5.* quia mulier non prohibetur in Camera studere. Vincent. Caroc. *tract. de locat. & conduct. p. 1. quest. 15. num. 42.*

11 Et non duntaxat heres primus & directus, sed etiam fideicommissarius vniuersalis indirectus, quia is locum heredis tenet, *l. si filius. 5. §. 1. ff. quod cum eo qui in alien. potest. l. ex affe. 28. in fine. prin. & l. postulante 44 vers. nam & quodammodo ff. ad Trebell.* sicut & in deliberando, vt supra dictum est, Roland. *dict. p. 2. quest. 20. num. 4. & 6. & ibid. addit. Mich. Grass. d. lib. 2. artic. inuentar. q. 4. n. 5.*

12 Sic quoque heres ad instantiam fideicommissarij inuentarium facere compellitur, Doct. *in l. cum tale 72. §. 1. ff. de condit. & demonst. Roland. d. p. 2. quest. 19. num. 1.* quia heres tenetur fideicommissario rationes reddere, quæ sine inuentario commode reddi nequeunt, Gail. 2. *obseru. 138 num. 5. & 6* inuentarium enim caput est reddendarum rationum, Gail. *d. loc. text. in l. mulier 22. §. sed enim 3 ff. ad Trebell.* Roland. *d. tract. p. 1. quest. 1. num. 5. & p. 2. quest. 19. num. 1. & part. fin. quest. 4. num. 16. & seq. & addit. ibid.*

13 Ideo etiam inuentarium ab herede factum fideicommissario prodest, Specul. *lib. 2. tit. de instrum. edit. §. fin. num. 18.* intellige si fideicommissario ab herede cessum esset, alias quæ heres habet ex sua promissione fideicommissario non profunt, nisi cessa, text. *in l. si heres pecuniam. 73. ff. ad Trebell.* Ioan. Faber *in alleg. §. extraneis num. 2. vers. sed quaritur.* Grass. *dict. artic. q. 4. num. 13.*

14 Quantum verò ad formam inuentarij nouem regulariter requiruntur, Primò, vt inchoetur intra 30. dies à delata hereditate, *d. l. fin. §. fin. autem 2. Cod. de iure delib.* Iason *in d. l. fin. prin. num. 3* & perficiatur intra 60. dies, *d. §. 2. vers. & hoc inuentarium*, nec exigitur vt præcisè inchoetur intra 30. dies, sed sufficit si intra 60. dies perficiatur, *d. §. 2. circa fin. Bart. & Doct. ibid. Iason in d. l. fin. §. si vero 12. num. 2. Paul. Castrenf. ibid. num. 4. Guid. Papa decis. 571. num. 1.*

15 Controuersum est quo tempore incipiat tempus conficiendi inuentarij currere, & licet non paucis, id à tempore aditæ hæreditatis currere placeat, Bart. *in d. l. fin. §. si vero postq. num. 1.* nos tamen contrarium scil. à tempore delatæ hereditatis currere intrepidè affirmabimus, per text. *d. §. fin. autem dubius. 2. in verb. vel delatam sibi, & c.* Paul. Castrenf. *in d. §. si vero. 12. num. 2.* Roland. *d. tract. p. 3 q. 11. num. 1.*

16 Et illud tempus currit minori sicut maiori, text. *in Nouell. 1. de hered. & Falcid. cap. illud quoque 4. §. pupillus 1.* licet si læsi fuerint, læsione probata restituantur, *d. §. pupillus.* Guid. Papa *decis. 571. num. 2. sup. thes. an autem. 8.* Ioan. Faber *ad d. §. extraneis num. 3. in fin.*

17 Secundo requiritur citatio omnium creditorum & legatariorum, vt certo die & hora compareant, & videant indicari, prosequi & perfici in-

uentarium, *dict. Nouell. 1. cap. 2. §. fiat igitur. 1. Specul. de instrum. edit. §. fin. n. 24. vers. insuper, Schneid. ad d. §. extraneus. n. 12. Roland. d. tr. p. 3. q. 20. n. 1.*

18 Ad quod tamen vna citatio sufficit, Bald. *in d. l. fin. pr. et si aliqui citati fuerint, & aliqui non, valet inuentarium quoad citatos, non vero quoad alios, Bald. d. loc. Iason ibid. n. 4. Card. Tusc. lit. I. concl. 394. n. 5. 6. & seq. quæ citatio potius conuocatio, quam citatio dicitur Tusch. d. loc. n. 84.*

19 Citatio hæc fieri debet nominatim si creditores & legatarij sint certi, Bart. *in Nouel. 1. cap. 2. §. 1. vers. si enim omnino, n. 3. Roland. d. p. 3. q. 29. n. 1. idem si incerti quidem sed de facili certificari possint, Iason in d. l. fin. pr. n. 3. vers. quinto requiritur. Roland. d. q. 23. n. 2.*

20 Si verò sint incerti, nec de facili certificari possint, sufficit vna generalis citatio publica, per proclamata Porcell. *tr. de inuentar. c. 2. vers. quarto requiritur, Bart. d. vers. si enim, n. 3. Roland. disp. 3. q. 23. n. 3. vel eodem modo amicos, eorum consanguineos vel affines, Card. Tusch. lit. I. concl. 346. n. 55. Gail. lib. 1. obs. 57. n. 7. & 8. addit. ad Roland. d. loc. Marant. in specul. aur. part. 6. memb. 1. n. 98.*

21. Si vero creditor ille aut legatarius pupillus, furiosus, prodigus aut infans, vel aliàs miserabilis persona fuerit, per tutores & curatores citandi sunt, l. 1. §. sufficit. 2. ff. de administ. tut. Bald. *in l. donatarum. 3. in fin. Cod. de acq. poss. vbi hoc pro cautela tradit, Roland. d. p. 3. q. 24. n. 1. & 2. & q. 25. num. 2.*

22 Et etiã si aliqua prædictarum personarum per se citata sit, tamen citatio illa ita intelligitur, vt legitimè compareant, scil. per tutorem aut curatorem suum, Roland. *dict. q. 25. n. 1. & q. 26. n. 1. Card. Tusc. lit. C. concl. 252. n. 7. 8. & 9.*

23 Tertio requiritur, vt infra 60. dies absoluatur, si res in eodem loco fuerint, si vero absentes intra annum, d. l. fin. §. fin. autem à locis. 3. Cod. eod. Castrenf. *in d. l. fin. §. cum igitur 1. n. 4. Roland. d. p. 3. q. 9. Mynf. ad d. §. extraneus, n. 20. & sic in effectu sunt tres menses ad inchoandum & perficiendum Inuentarium, Gloss. in d. l. fin. §. 2. in verb. sexaginta, & in verb. consumptionem. ibid. Castrenf. n. 4.*

24 Quarto, vt scribatur manu publici Notarij, *dict. §. fin. autem. 2. verb. presentia tabellariorum. dict. Nou. 1. cap. 2. §. 1. Vult. ad d. §. extraneus n. 6. vers. notario & testib. Roland. d. p. 3. q. 35. n. 1. & 3.*

25 Quinto, vt adhibeantur tres, vel ad minimum duo testes qui inchoationi & perfectioni intersint, Bart. *in d. l. fin. §. cum igitur. 1. quibus res hereditariæ exhibendæ & ostendendæ sunt, Roland. d. p. 3. q. 18. n. 1.*

26 Prædicti testes heredem cognoscere debent, Bart. *in d. l. fin. §. cum igitur. 1. n. 4. Castrenf. in d. §. 1. n. 7. Iason in d. l. fin. pr. n. 4. vers. nono requiritur, dicens hoc esse speciale in inuentatio, Bart. d. n. 4. Roland. d. p. 3. q. 19. n. 1. Card. Tusch. dict. concl. 349. n. 62. vers. quod debeant.*

27 Quæ cognitio cum grano salis intelligenda, si scil. non essent vicini, Roland. dict. q. 19. n. 2. quia est præsumptio, quod vicinus vicinum noscat, Iason d. l. n. 5. vers. subdit. quia res vicinorum quodammodo nostræ iuxta versum:

————— Ecquid.

*Ad te post paulò ventura pericula sentis,  
Nam tuares agitur paries cum proximus ardet,  
Et neglecta solent incendia sumere vires.*

28 Sin vero creditores vel legatarij ab fuerint, eorum loco tres alij testes bonæ opinionis & famæ eiusdem ciuitatis & loci adhiberi debent, Card. Tusch. dict. concl. 349. n. 56. & seq. Porcell. tract. hoc. cap. 2. n. 4. vers. & quod dictum est, text. in Nouell. 1. cap. 2. § 1. vers. si vero absunt. Iason. dict. pr. n. 4. versic. octauo requiritur Roland. d. p. 3. q. 27. n. 1.

29 Sexto requiritur, vt per manum heredis ponatur signum sanctæ crucis, d. §. *sin autem. in fin. ibid.* venerabili signo ante manu heredis posito, Iason. d. pr. n. 4. vers. *septimo requiritur*, Bart. in d. l. *sin. §. cum igitur. 1. n. 3. in fin. Specul. de Instrum. edit. §. fin. n. 9. vers. dic in hunc modum*, Paul. Castrenf. in d. §. *cum igitur. n. 6.*

30 An autem signum crucis sit de substantia inuentarij, adeo vt eius omisio vitiet inuentarium? quamuis pro parte negatiua vt communi non modicæ videantur rationes, affirmatiuam vt salubriorem amplectemur, per text. d. l. *sin. §. sin autem 2. vers. venerabili signo*, Card. Tusch. dict. concl. 439. n. 94. dicens istam opinionem esse tutiorem & à toto mundo seruari.

31 Octauo requiritur, vt heres se inuentario subscribat, d. l. *sin. §. sin autē 2. ibid.* subscriptionem tamen supponere necesse est, Cod. de iure delib. Bart. *ibid.* Ias. n. 4. vers. *sexto requiritur*. Nepos de Mont. tract. de except. artic. 17. n. 3. quod scil. omnia solemniter sine dolo & fraude legaliter peregerit, Bart. Ias. Castr. & Doct. dict. loc.

32 Si tamen heres scribere nesciat, tabellioni specialiter ad hoc deputato, id committere debet, Bart. Iason. Castrenf. & Doct. d. loc. Nepos de Mont. d. n. 3. Roland. à Vall. part. 3. quest. 48. n. 1.

33 Nono, vt omnia bona corporalia & incorporalia, mobilia & immobilia, credita & debita, commoda & incommoda, etiam res alienæ, vt commodatæ, depositæ, ibidè repertæ, d. §. *sin autem dub.* ibid. super his rebus, quas defunctus mortis tempore habebat, Ias. *ibid. n. 3.* Castrenf. in d. l. *sin. §. cum igitur*, Roland. d. p. 3. q. 39. & q. 40. Porcell. cap. 3. pr. Treutl. p. 2. disp. 12. thes. 8. lit. F.

43 Immobilia bona describenda sunt cum designatione saltem duorum proximorum terminorum seu confinium, text. in l. *forma 4. ff. de censib.* & in l. *ita fidei heredis 40. ff. de iure fisci* Porcel. d. cap. 3. n. 3. Roland. d. p. 3. q. 40 n. 1. Specul. de instrum. edit. §. *fin. n. 24. vers. imprim.* 4. Treutl. d. thes. 8. lit. F.

35 Sic in mobilibus pondera, numeri, mensuræ, quantitates & qualitates exprimendæ sunt, *l. si quis 7. C. de fion. proscrip.* Card. Tusch. *d. conclus. 349. n. 29. 30. & seq.* Roland. *d. p. q. 43. n. 1.*

36 Sed quid si vna vel Plures omiffæ fuerint, nunquid in totum vitabiatur inuentarium, ita vt heres creditoribus & legatarijs, vltra vires hereditarias teneatur? quod sub distinctione scientiæ & ignorantie Negamus, Castrenf. *in d. l. fin. §. cum igitur n. 1.* Schneid. *ad d. §. extraneis n. 14.* Roland. *d. p. 3. q. 6.* Card. Tusch. *lit. I. concl. 345 n. 32. & seq.*

37 Effectus autem seu vtilitas inuentarij est, quod heres non teneatur vltra vires hereditarias, *d. §. extraneis Instit. de hered. qual. & differ. d. l. fin. §. et si prafatam. 4. ibid. Iaf. n. 1. & 2.* & Doct. communiter, & nullum damnum sentiat, *dict. iuribus.* Treut. *dict. disp. thef. 9. lit. A & B.* liberetur ab omnibus vexationibus Roland. *dict. tr. p. 4. q. 1. n. 3.*

38 Inuentarium quoque prodest heredi ad pias causas *dict. §. & si prafatam.* qui generaliter loquitur & generaliter intelligendus, *l. 1. §. generaliter 1. de legat. praf.* excusat quoque heredem ab obligationibus hereditarijs defuncti, Roland. *dict. p. 4. q. 4.*

39 Heres confecto inuentario detrahit falcidiam de legatis & fidei commissis, *d. l. fin. §. et si prafatam.* Iafon *in d. l. fin. pr. n. 6.* Mynf. *ad d. §. sed nostra, penult. num. 14. de hered. qualit. & diff.* Treutl. *d. thef. 9. lit. C.*

40 Vnde controuertitur, an heres non conficiens inuentarium amittat Trebellianicam sicut Falcidiam? quamuis non sperנדæ authoritatis rationes stent pro parte affirmatiua, Negatiuam tamen vt communem proponemus, Gail. *lib. 2. obs. 138. num. 13.* Bart. *in auth. sed cum testator, num. 9 & 10. Cod. ad L. Falcid.* Treutl. *dict. thef.*

41 Præterea heres pendente confectioe inuentarij non potest conueniri a creditoribus, *d. l. fin. §. donec, 11.* Iafon *in d. l. fin. §. licentia 10. num. 5.* quia exceptio, Ego sum intra tempus conficiendi inuentarij impedit litis contestationem, Bart. *in d. §. donec, num. 1.* Iafon *in d. §. licentia, num. 6.* & sententiæ executionem, *d. §. donec, ibid. Bart. d. n. 1.*

42 Quod tamen Mynf. *ad d. §. sed nostra, 6. n. 15.* verum intelligit, si conueniatur vt heres, secus si vt simplex possessor, vt si reali iudicio, quod aduersus quemlibet possessorem intentari potest, conueniatur, *per l. Nefen. 41. §. fundum, 1. ff. de re iudic.*

43 Confectio quoque inuentarij efficit, quod hæres possit vnicuique creditori aut legatario primo venienti satisfacere, donec aliquid de bonis defuncti superest, nec desuper ab alijs creditoribus etiam tempore prioribus molestari poterit, Mynf. *d. §. num. 16. per l. dolo. 41. ff. ad L. Falcid.* nec in eo dolo committere creditur, *d. l. dolo, L. Iulianus, §. Marcellus, 4. vers. si tamen. ff. ad exhib. d. l. scimus, §. et si prafatam, 4. vers. & eis satisfaciunt,* Castrenf. *ibid. n. 4.*



44 Ex eodem quoque fonte creditores compelli possunt ad recipiendum res hereditarias in solidum, si pecunia numerata in hereditate non inueniatur, arg. *l. non dubium, 14. §. fin. ff. de legat. 3.* Castrenf. *in d. §. est prefatam. num. 5.* Mynf. *ad d. §. n. 17.* & sic soluere aliud pro alio, contra *l. 1. §. fin. ff. si cert. petat.* nec tenetur heres eas vendere, & heredibus pretium soluere, ne se pro euictione obliget, *Specul. de instrum. edit. §. fin. ibid.* Io. Andr. *in addit. Castrenf. d. n. 5.* Mynf. *diff. §. n. 17.*

45 Altera inuentarij species est tutoris, tutor enim mox vt ordinatus est, inuentarium facere tenetur, *l. tutor qui. 7. pr. ibid. Bart. num. 1. ff. de administ. & peric. tutor. l. 24. Cod. eod. tit. l. fin. Cod. arbit. tut. l. 5. Cod. de Magist. conuen. l. fin. §. 5. & 6. C. de curat. furios. l. de creationibus. 27. Cod. de Episc. aud. Roland. diff. tr. p. 2. q. 38. n. 1. & 2. Vincent. Caroc. tract. de locat. & conduct. p. 1. q. 24. rum. 4. & finita tutela rationem reddere tenetur, Vultei. *ad §. impuberes, fin. num. 6. Instit. de Attil. tutor.**

46 Quod iure nouissimo de omnibus tutoribus testamentarijs legitimis & datiuis intelligitur, *Constitut. Caroli V. Politic. de Anno 1548. tit. von den Pupillen vnd minder jährigen Kind. Vormündt. §. 3. & 4. ibid.* daß ein jeglicher Vormünder/er sey gleich in Testaments weise verordnet/ oder durch das Recht oder Richter gegeben/ &c. & *Constit. de Anno 1577.*

47 Si tutor inuentarij confectionem omiserit, in dolo erit, *d. l. tutor, 7. prin.* & contra eundem agi potest ad interesse per iuramentum in litem declarandum, *d. l. tutor. prin. ver. si quis igitur. Plot. in repetit. l. si quando, n. 192. Cod. vnde vi. Phanut. in tract. de in lit. iurand. p. 2. n. 29.* nec administrare poterit, *d. l. 7. ibid. Bart. & Doct.* sed vt suspectus remouendus, *Roland. d. q. 38. n. 5. Caroc. cit. loc. n. 5. & 6.*

48 Idem in honorario, vel notitiæ causa dato procedere intelligimus, *Bart. in d. l. tutor. 7. num. 3.* idque propter ipsius legis generalitatem, *Bart. d. num. 3. Roland. d. p. 2. quest. 39. num. 1.* etiã in eo qui in locum absentis datus est, secus tamen si ad vnum articulum, tunc enim non tenetur, *Bart. diff. loc. num. 4. Aretin. ibid. per l. impuberi 9. ff. de tut. & curat. dat. ab his.*

49 Idem in curatore, text. in *l. de creationibus 27. Cod. de Episc. aud. l. tutores. 24. Cod. de administ. tut. vel curat.* Curatoris tamen nomine omnes administratores intelligimus, vt Episcopos, qui tempore adeptæ dignitatis rerum in Ecclesia inuentarum inuentarium facere tenentur, text. in *cap. de Syracusana 1. prin. vers. qua de re, distinct. 28.* Prælatos, Oeconomos, Orphanotrophos, *l. Orphanotrophos. 32. ibid. Bart. Bald. & Doct. communiter, Cod. de Episc. & Cler. Specul. d. tit. de instrum. edit. §. fin. n. 10. 12. & seq.*

50 Vltima tandem species est Fisci, qui succedens in bona vacantia deficientibus alijs heredibus fit heres & inuentarium facere tenetur, text. & *Gloff.*

Gloss. in l. ex facto 17. ex §. facto 5. ibid. in fin. maximè cum etiam bona cum tua causa Fisco sint vindicanda, ff. ad Trebell. & nunquam præsumitur aliquid speciale in fisco potius quam alijs hominibus, nisi in casibus in iure exprelsis, text. in l. iustas. 6. C. de iure fisci, Gloss. in l. item veniunt, §. in priuatorum, in verb. in publica, ff. de petit. hered.

## COROLLARIA.

I. Dubitatur an vxor post mortem mariti conficiendo inuentarium bonorum maritalium liberetur ab ære alieno, stante matrimonio per maritum coptracto, adeo vt non teneatur nisi quatenus ex bonis mariti possideat? quod merito affirmatur, per Rubr. Cod. ne vxor pro marit. & l. 1. ibid. Bald. pr. & Bartol. & ratio est, quia vxor ex contractu mariti non tenetur, nisi quatenus heres, aut creditum in rem vxoris conuersum est, text. elegans in l. contractus. 24. ibid. Bald. Cod. de locat. & conduct. & in l. final. §. 1. verfi. cum omnibus credi. oribus. Cod. de Iure deliberand. cum nec si spontè vxor pro marito intercesserit, quicquam ab ea exigi possit, text. in d. l. 1. Cod. ne vxor pro marito. tot. tit. ff. & Cod. de Senatusc. Velleian.

II. Mulier transiens ad secundas nuptias ratione bonorum ex priori matrimonio relictorum, inuentarium facere tenetur, & ad hoc autem cognatis proximioribus tanquam legitimis liberorum prioris matrimonij tutoribus officio iudicis cogi poterit, arg. eorum que notat Roland. tr. de inuent. p. 1. q. 9. & ibid. Kessel. in addit.

III. Mulier ventris nomine in possessionem bonorum mariti missa inuentarium facere tenetur, l. 1. §. pen. ff. de ventr. in possess. mittend.

IV. Ecclesia succedens iure hereditario restitutum in integrum aduersus confectionem inuentarij omiffam, Salicet. in Auth. sed cum testator. Cod. ad L. Falcid.

V. Pater legitimus tutor filij sui emancipati vel datus ei curator inuentarium facere & rationem reddere tenetur.

VI. Vxor quæ pro dote restituenda retinet bona mariti iure taciti pigoris ad inuentarij confectionem compelli potest, Roland. d. tr. p. 1. q. 31.

VII. Vusufructuarius omnium bonorum ad inuentarij confectionem tenetur, text. in l. 1. §. rectè 4. ff. vsufr. quemad. caueat.

## In Zoilum.


Inuide mordaces deponito Zoile dentes  
Iam lacerare nequis, lingua recisa tua est.


F I N I S.

X 2874408

94 A 7386

VD 17





B.LICI  
 ORDINARIA,  
 LIBE-  
 BENE-  
 TARI II.

*Triade.*  
 IO  
 VV. ac DD.  
 , I. V. Doctoris, &  
 . LL. Licentiati,  
 & Fisci.  
 tra defendet.  
 neggenfis Marco-  
 . Iun.

PINE,  
 pe Augustinianos.

B.I.G. Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black